



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

**Parisiis, 1644**

VII. Vt presbyteri nonnisi vnam Missam in die celebrare praesumant.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15653**

dicti sacramenti se exhibet, pecunia posse vendi. Verum cum dictum sacramentum super omnia preciosum, sit liberaliter sicut cetera sacramenta celebrandum, distictius prohibemus, ne aliquis presbyter pro Missis celebrandis pecuniam exigat, vel rem aliam temporalem; sed grata accipiat, si aliquid per facientem Missas celebrari oblatum sibi caritatue fuerit, absque pacto & conuentione quacumque. Qui vero contrarium fecerit, a celebratione Missæ per annum nouerit se suspensum, & alias pro tam graui excessu ad arbitrium proprii episcopi puniendum.

VII.

Nullus insuper absque causa necessitatis, excepto die natiuitatis Domini, præsumat nisi vnam Missam celebrare in die: quia valde felix est, qui celebrat digne vnam. Præcipimus etiam in virtute sanætæ obedientiæ omnibus presbyteris, quod Missam celebrent ut frequentius poterunt, & ad minus quater in anno; nisi ex causa rationabili, quam propriis episcopis notificare habeant, eos cessare contingat. Et ne præter criminis conscientiam a celebratione Missarum habeant abstinere, concedimus eis licentiam in hoc casu, si non possint commode copiam sui curati habere, quod possint alii presbytero confiteri, qui ipsos tam a minore excommunicatione, quam aliis omnibus quæ sibi confitebuntur, possit absoluere; exceptis dumtaxat casibus sedi apostolicæ & episcopo reseruatis: alii vero clericivt ostendant se ad plus teneri quam laici, ad minus communicent ter in anno; nisi de

ANNO  
CHRISTI  
1324.

JOANNES P. XX. TOLETANVM. LUDOVICVS BAVARVS IMP.  
ALPHONSVS XI. R. CASTELLÆ. II<sup>7</sup>

consilio proprii confessoris duxerint abstinentum.

VIII.

Quamvis contra illos qui cum Sarracenis mercimonium habuerint, vel eis aliqua rerum subsidia seu consilia per se vel alios quocumque ingenio, quamdiu inter nos & ipsos guerra durauerit, impendenda duxerint, sint a Canone excommunicationis \* sententia promulgata. Quidam tamen Christiani peruerso verba dicti Canonis intelligentes, & quarentes in eis folia & non fructus, non verentur tempore dictæ guerræ ipsis Sarracenis ad terram eorumdem Christianorum venientibus vel mittentibus victualia vendere, & alia rerum subsidia impendere, credentes ex quo non vadunt, nec mittunt ad dictos Sarracenos, a sententia ipsius Canonis excusari. Nos vero peruersum intellectum & crudelitatem eorum penitus reprobantes, declaramus & volumus ipsos qui prædicta faciunt vel committunt, incurrere sententiam Canonis supradicti, quem Canonem simul cum hac nostra constitutione specialiter in cathedralibus & parochialibus ecclesiis eisdem Sarracenis vicinis frequenter præcipimus publicari.

CIRCA  
ANNVM  
CHRISTI  
1327.

CONCILIVM AVENIONENSE,  
CONTRA NICOLAVM V. ANTIPAPAM  
eiusque errorem celebratum tempore  
Ioannis papæ XX.

NOTA.

\* *Concilium.*] Nicolaus V. Petrus Corbariensis antea nominatus, ordinis Minorum, contra Ioannem XX. (quem Ludouicus IV. accrime oderat) studio & opera eiusdem Ludouici antipapa creatus

P iii